

Petrus de Vinea

*Ep. V 82 (Cum, inter
ceteros fideles nostros...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 82 (Cum, inter
ceteros fideles nostros...)*

1243? settembre 1245?

Fidelibus suis, confortans eos in fide, et ut credant nuntio.

1. Cum, inter ceteros fideles nostros, uos et ciuitatem uestram, quae nostra et Imperii est Camera specialis, fouere et manutenere uelimus ob fidem puram et deuotionem sinceram, quam ad nos et sacrum Imperium habuistis hactenus et habetis, propter quod a nobis et Imperio digna debetis premia reportare, uniuersitatem uestram per sacros apices nostrae celsitudinis ad seruitia nostra sollicitandam duximus et hortandam, mandantes, quatenus, sicut honorem diligitis Imperii et nostrae serenitatis gratiam affectatis, in expeditione seruitiorum nostrorum sic exhibeatis uos in omnibus promptos, more solito deditos et paratos, ut gratia nostra in uobis de bono in melius in uobis per exhibitionem operum semper accrescat, et uestra exinde deuotio possit merito commendari. 2. Ceterum, quicquid G. de ..., capellanus et fidelis noster, quem ad partes ipsas pro nostris seruitiis duximus destinandum, quod pro eisdem seruitiis nostris dixerit et iniunxerit, tamquam nobis indubitanter uestra credat deuotio et adimpleat cum effectum.